

CUM DEO!
 COLLEGGII INSTITUT.
 PUBLICI
 DISPUTATIO DUODECIMA
 Ethico-Politico-Juridica
 DE
LEGATIS,
FIDEICOMM: & CODICILLIS,

Ad Tit. 20. 21. 22. 23. 24. & 25.

LIB. II.

EXHIBENS
 TEXTUS

Continuationem, Quæstiones,
 Antinomias & Axiomata

Quam
 SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI TAUBMANNI

U. J. D. Prof. Publ. Curiã Elect. & Facult.
 Jurid. Adsefforis,

discutiendam proponit

GÖDFRIED SCHNEIDER Bitterf.

Ad diem 23. Novembr. In Auditorio Jctorum bor. antemerid.

Diss. jur. civ.

2010/22

WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL WENDT/ Anno 1639.

V I R I S

*Generosis, Nobilissimis ac perquam
Strenuis*

Dn. JOHAN-CHRISTOPHORO
ab EBELEBEN, in Wartenburg
Toparchæ, Sereniss. Electori Saxonico à
Consiliis, Curia Electoral. quæ V Vitte-
bergæ est, Præsidi eminentiss. nec non
ejusdem Ditionis, ut & Belzigen-
sis ac Gomeranæ Præfecto
supremo,

Dn. DANIELI à KOSERITZ,
in Burg & Newfennitz Hæreditario, Po-
tentiss. Electoris Saxon. Consiliario
Aulico spectatissimo,

*DE COMMUNI BONO PRÆCLARE
MERENTIBUS INDIES;*

*ceterum de conservandis ornandisque literis sollicitis
perquam cottidieque laborantibus,*

Patronis ac Meccœnat. colendis demissè
ac venerandis

Testandi studii & observantiæ, qua eos jure
prosequitur,

D. D. D.

Respondens.

DE LEGATIS, MEMBRUM I.

Continens textus Continuationem.



PXpositis hactenus modis acquirendi Domini universalibus, *ut de testamentis, & aliis ad ea pertinentibus*, commode nunc subjiciuntur LEGATA, *supr. tit. 6.* maximè cum ea in testamento relicta, quasi appendices testamentorum sint, exq; iis vim accipiant. *princ.* Est autem Legatum donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præstanda. §. 1. In quo, veteribus istis legatorum generibus abrogatis. §. 2 & 3. consideranda sunt: Res; Personæ; Modus & Actiones. Et quidem possunt legari I. Res testatoris propriæ. §. 4 n. 11. II. Res heredis. *ibid.* & §. 16 III. Res aliena; *ibid.* & §. 6 8 9. 10. 11. IV. Res obligata §. 5. V. Res futura. §. 7. l. 24 *de leg. 1.* & l. 17. *de leg. 3.* si modò futura. §. 1 *infr. de inut. stip. Harpr. p. 1066.* VI. Res debita §. 2. 13. 14. VII. Dos. §. 15. VIII. Corpus totum cum accessionibus, *ut grex* §. 18. *Ædes.* §. 19. *Peculium.* §. 20. IX. Res incorporeæ. §. 21. *ut jura, servitutes & obligationes sive nomina.* l. 41 *pr ff. de leg. 1.* X. Genus, nullâ certâ specie expressâ, veluti servus in genere, quo casu electio est legatarii §. 22. XI Optio §. 23.

II. PERSONÆ, quibus legata relinqui possunt, sunt, cum quibus est testamenti factio. §. 24. id est, qui ex testamento aliquid vel ipsi capere, vel aliis acquirere possunt. Et quidem sublato veteri jure, *de quo in* §. 25. & 26. Personis etiam incertis, modò ex futuro eventu certæ sint. §. 27. Postumo alieno. §. 28. Domino, cujus servus heres institutus §. 33. Quanquam contra servo heredis, nisi sub conditione, si tempore, quo dies legati cedit, in potestate hæredis non sit, inutiliter legetur. §. 32. Nec uni

tantum, sed etiam pluribus eadem res legari potest, inter quos interdum jus accrescendi locum habet. §. 8. Sequitur nunc F O R M A & M O D U S : Potest hodie autem non solum post, sed etiam ante & inter medias heredum institutiones. §. 34. Tam pure, quam sub conditione, etiam post heredis aut legatarii mortem. §. 36. Neque error in nomine legatarii §. 29. Neque in rei legatæ demonstratione. §. 30. Neque causæ adjectione. §. 31. modò de persona, re & voluntate testatoris constet, legatum vitiat. *Pæne* quoque *nomine* hodie legari, legatum adimi & transferri potest; *nisi* fortè impossibilia fuerint, vel legibus interdicta, aut alias probrosa sive turpia. §. *fin.*

MEMBRUM II.

Continens Questiones.

I. Num ex hac definitione legati, verba illa, *ab herede præstanda*, tanquam spuria sint exterminanda? Neg. *cum Först. d. 14. tb. 2. Hillig. Don. En. l. 8. c. 1. g. Arum. Ex. 9. tb. 1. Harpr. p. 1040. n. 18. Contra Hottom. Gödd. & Bronch. cent. 2. aff. 95.*

II. An Legatarius propriâ authoritate rem legatam, aut viâ executivâ apprehendere possit? Neg. *cum Frantsk. Ex. 7. q. 2. Hænon. d. 10. q. 22. Först. d. 14. tb. 3. Fachin. 5. contr. 31. Treutl. v. 2. d. 13. tb. 7. c. Contra Alciat. Myns. Coler. & Carpzov. p. 3. const. 13. Jurispr. for. def. 35.*

III. Cujus rei legatario commercium non est, an ei inutiliter legetur? Aff. *cum Gerb. Ex. 10. q. 2. Arum. d. 9. tb. 6. Harpr. p. 1055. n. 18. Donell. l. 8. c. 11. & ib. Hillig. lit. f. & c.*

IV. Utrum testator, rem legatam remunerandi gratiâ alteri donans, legatum revocasse videatur? Aff. *cum Harpr. p. 1075. n. 8. Contra Menoch.*

V. Num hæres post moram in solutione commissam, etiam de naturali & fortuito interitu teneatur? Aff. *cum Harpr. p. 1083. n. 9. Vid. Gödd. ad l. 12. §. 1. n. 9. de V. S. Bronch. cent. 1. aff. 48. Röber. d. 12. tb. 6.*

VI. An

VI. An in Legato generis electio tribuenda Legatario? Aff.
cum Frantz. Ex. 7. q. 6. Berens d. 7. tb. 13. q. 2. Arum. d. 9. tb. 10.
Rober d. 12. tb. 7. Harpr. p. 1110. n. 7.

MEMBRUM III.

Continens Antinomias

I. Exaequatio legatorum & fideicommissorum autorem ha-
bet Ulpianum *l. 1. de legat. 1.* Ergò Justinianus *in §. 3. hic* immeri-
tò eam sibi ascribere videtur. Sed videtur tantum! Tu rides
magne *Cujac I.*, & rides vehementius: Ego tamen *Matth. Bachov.*
Alios, hîc sequi malo, quàm ut tibi assentiar, *in quarta tantum de-*
ductione legatis exaequata fuisse fideicommissa, quod non est inter-
pretari, sed eludere & negare Jcti responsum. Vid. *Fachin. 5.*
contr. 30. Arum. Ex. 9. tb. 14. Harpr. hic p. 1051. n. 7.

8. Obs. 4.

II. Vastum illud & anceps Juris mare multis difficultatum
procellis concitatum esse, conquerentes vidi multos: Inter quas
non minimi roboris hic turbo; quem inter *§. 10. hic. & l. 41. §. 2.*
ff. de leg. 1. Nec non *l. 1. §. ult. ff. de reg. Caton.* afflatu suo excita-
runt *Hottomannus, & Matthæus hic*; quorum *Alter* antinomiam
fatetur indissolubilem; adeò ut qui ista conciliare studeant, ni-
hilo melius operam suam collaturos, quàm si circulum quadrare
nitantur: *Alter* vero, Justiniano sive Triboniano affirmanti
concordare inter se omnia, nullam fidem esse adhibendam, ex-
clamat. Ne igitur mens nostra in vago illo freto, vago motu
circumferatur, pondere atque saburrâ rationis navem istam si-
stunt, atque distinctione, tanquam remis vela singula ligant, ma-
gni nominis *Naucleri. Wesenb. Heig. hic. Donell. l. 8. comm. c. 13.*
Treutl. p. 2. d. 13. tb. 5. e. Arum. Ex. 9. tb. 5. Harpr. hic p. 1072. n. 6.
Duarenus ad d. l. 41. qui istanc docendi rationem juris facilem
quidem esse & expeditam; sed Grammaticum trivialem decere
magis, quam Jctum, scitè tradit.

III. Tela scopum sponte non tangunt: oculi requiruntur
qui collineent; manus, quæ nervum torqueant; sic scopus in Ju-
re nostro non attingitur, si cum quibusdam statim ad illud *Ure*

A 3

seca

feca provolemus; aut, multas inexplicabiles antinomias à Tribon. in digestionem antiquæ prudentiæ cum *Matth. Donel. l. 8. com. c. II. & alia* inter §. 14. *bic. l. 5. ff. ad L. Falcid. §. l. 82. ff. de legat. 2. relictas esse exclamemus: Videndum potius, quâ ratione isthæc, primo intuitu pugnantia, Jctorum responsa possint conciliari; ad quam viam tibi sternerent, *Hilleg. ad Don. l. 8. c. II. r. Pac. enant. 6. q. 18. Treut. v. 2. d. 13. tb. 4. i. & ib. Bach. in not. p. 800. Hunn. l. 2. var. res. tr. 8. q. 31. in fin. Harp. p. 1080. n. 5.**

IV. Faceffant quoque jurgia inter §. 17. *bic. junctal. i. ff. de instrum. & inst. leg. §. l. 5. eod. tit.* Satisfaciunt istis solido ære. *Martin. in contrar. tb. 46. Streitman in antin. leg. civ. contr. 19. Giph. antin. jur. disp. 20. n. 40. Harpr. p. 1087. n. II.*

MEMBRUM IV.

Continens Axiomata & Digressiones.

I. Singula suis explicanda locis. *arg. princ. bic.* Nam *ordo plurimum habet momenti, tum in discendo, tum in docendo, tum in proferendo, tum in conjecturando, tum in prælatione, tum in exequendo, tum in similibus.* Et hinc non sine causa *Paulus Apost.* jubet *omnia honestè & secundum ordinem fieri.* Ordo enim est figura substantiæ cujusque rei, *secundum Bald.* Et scire quid facias, nescire autem quo ordine & quo loco facias, non est perfectæ cognitionis, *inquit Ambros. & post hunc Bald. in princ. const. ff.* Adeò ut equum per caudam frenare dicatur, qui procedit sine ordine, *inquit Lancell l. nemo de leg. 1.* Imo omnia tum in rebus naturalibus, tum etiam arte effectis, ab ordine dependere, locuples veritatis magistra testatur experientia: *Machina perpetuo, cælestis ab ordine pendet. Ordine pervenias, quo non licet ire labore.* Ut non inscitè *Baldus.* *Bonum in Ordine consistere affirmet.* Et tolle eum è descriptione, *Ex mente Lipsij cent. 1. ad Belgas. ep. 17. quid est? congeries; & ut lignorum aliqua strues, cui faber deest.* In mundo hoc quod nos delectat supero inferoq; , *Ordo, est: in illo perpetuus in isto, instabilis: sed tamen ordo, quem nihil errem, si vitam & animam ipsam dixerim esse mundi.* Sicut itaque *Dispositio Memoriae certum lumen adfert, & Judicium acuit*

*I. ad Cor.
c. 14.*

acuit; ita vicissim Confusio, rectam animi intelligentiam impe-
dire, semperq; obscurare assolet: adeò ut *quicquid peccatur, per-*
turbatione peccari rationis atq; Ordinis, dicere audeat Cicero. Quare *In Partie.*
Jureconsultos veteres, magnam in jure tractando *Collocationis* ha- *Orat.*
bnisse *rationem*, compositio tot Edictorum, ab Juliano in unum li-
brum congesta, ostendit. *Tribonianum* quidè in Pandectis ritè dis- *In Oecon.*
ponendis, non indiligentem fuisse, demonstrare confidit *Gipha-* *Jur.*
nus: earundem tamen distributionem inconsideratam, & mate-
riarum in titulis indigestam commissionem, reprehendunt quàm-
plurimi, & Leoninâ detractâ pelle, *Arcadicum* nonnunquam ap-
parere *germen*, scribunt haud Pauci: quam litem nunc mihi non
despondeo. Vid. post *Wesenbec. Hieron. Secser. in pref. tr. de juram.*
Donell. H. l. g. l. c. 1. Besold. in templo Justitie p. 11. n. 10. War.
ab Erenb. p. 1. de sed. c. 1 n. 140. Pariben. litig l. 1. c. 15. n. 4. Eber-
hard. top. loc. 1. p. 111. Matth. Stephani dial. Juris. p. 155.

II. Constitutiones magnâ lucubratione faciendæ.
§. 2. *hic*. Quia magna res est legislatio; ideò magna lucubratione,
& adhibitis viris prudentibus est instituenda. *arg. l. 8. C. de li.* Sic
Alexander Severus Imp. nullam constitutionem sacrauit sine XX,
Jurisperitis & doctissimis & sapientiss. viris, ijs denique disertis-
simis non minus quinquaginta Sic Serenis. noster ELECTOR,
novam Processus Ordinationem non ex suo ingenio & placito vale- *In pref. vers.*
re, sed exemplo magnorum Principum ductus, eam à præclaris *Wann.*
usu & experientiâ edoctis efformari & probari voluit: Wann
wir dann solche Arbeit vnsern geheimbden-Hoff vnd Appellati-
on Râthen / wie nicht weniger vnsern Hoffgerichten / Juristen-
Faculteten vnd Schöpffenstülen vntergeben / ihr Bedencken / vnd
was eines oder des andern orts darben zuerjannern / vnd verbessern
seyn möchte / eingeholet / nachmals das werck anderweit in fleissige
Censur nehmen / &c. *Certus magna negotia* magnâ lucubratione & *Vell. l. 1.*
magnis adiutoribus, non solum Secretariis, egere. Neq; imbecillitatis
sed prudentiæ argumentum est consulere alios, & ex plurium suf-
fragiis, quod melius & æquius est, statuere. Sicut enim auri boni-
tas tunc facilè noscitur, cùm alteri auro comparatur, aut etiam
attritu mutuo afficitur: Sic in consiliis ubi plurium audiuntur
senten-

sententiæ, optimum quod est, cognoscitur. Vid. Reinck. de reg. sec. & Eccl. l. 2. c. 5. l. c. 4. n. 8. & 10 Först. hist. Rom. præf. Lips. pol. l. 3. c. 2. Cbock, thes. pol. l. 2. c. 4. Bodin. l. 2. c. 4. Ompbal. de off. princ. l. c. 5.

Vell. l. 2.

Plin. l. 8.
ep. 18.

August.
serm. 38.

Prov. c. 10.

III. Voluntati non verbis favendum. *Ibid.* §. 2. Imò & fidendum! Quia multis hæc sunt *arcana*, quibus aliud dicitur, aliud intelligitur. Quibus decipere pro moribus temporum prudenti est. Nam fallere semper est voluntatis, falli, vel infirmitatis vel temeritatis. Unde melioris Genii candidati, cum omnes suo pede, ut dici solet, metiantur, id est, veritatis etiam studiosos existiment; adeoque ex consueto veritatis studio vera eloquantur, & nullo fuce verba illita; hinc fit, ut sæpè decipiantur: Neque enim omnes homines, quibus cum agimus, eodem modo, quo nos, afficiuntur. Callidi sunt multi, astuti, vafri, qui perplexè, intricatè, confusè, titubanter, simulatè loquuntur, quos vel vitare, vel circumspectè alloqui est necesse. Unde & Nigidius Figulus *Mentiri* definiit, quasi *contra mentem ire, & veritatem immutare*: Sic accusatores Socratis tantis lenociniis suam orationem ornarunt, ut ipse Socrates, teste Platone, confiteretur: *Os valdè probabiliter dixisse, licet verbum verum non protulissent*. Cum itaque multi simulant, dissimulant & astutam gerunt sub pectore vulpem; multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit, cognitaq; hominis fides & ingenium, doctissime dictum est: atque ex monito Sapientis: *Non omni homini cor tuum manifestes, ne fortè tibi inferat gratiam falsam & convitietur tibi*: præsertim hoc malitioso seculo, quo omne penè factum est simulatum; simulamus probitatem, simulamus scientiam, simulamus justitiam; tout nostre fait, n' est que PARADE, inquit M. Jacq. Faye la 6. remonstr. p 224. Prudentis igitur est non omnibus omnia patefacere; aliud verbis interdum tegere, aliud voluntati reservare. Non probo quidem in viro bono fraudem & calliditatem, solùm improbo nimiam credulitatem & aperta temerè consilia: ne benignitas & morum candor nobis obsit, cum multi capere nos velint, quos putamus familiares: Itaque fermentanda astu candida simplicitas. Vid. Tholos. l. 36. synt. c. 1. n. 5. Cypræus de jure

jure connub. c. 4. §. 15. n. 3. Sarisber. de nug. cur. c. 21. Turrius. parat. Etb. jurid. n. 222. Autor de jure princ. in jur. publ. 76. a. §. 81. c. Lips. l. 5. pol. c. 26. P. Greg. Tholos. l. 24. de Rep. c. 6. n. 5. & c. Keller. l. 2. de off. jurid. pol. c. 5. Utrum autem prudenti dissimulatione veritatem occultare liceat, quod vocant Höflich liegen? consulatur Parthen. litig. l. 1. c. 10, n. 27.

IV. Solennitas & Subtilitas verborum penitus tollenda. *ibid.* Affectata enim subtilitas errores profert. *Molin. in l. 1. §. qui pres. n. 4. de V. O.* Et nimium subtilizare, est perniciosè errare. *Jos. Lud. dec. Luc. 48. n. 8.* Unde vetus & scitum proverbium scribit *Blarer. ad l. diffam. C. de ingen. manum. in pres. ad lect.* Quod nimium subtilibus plerumque decidere soleant femoralia. Et *antiquiss. Practicus Job. Pet. de Ferrar. in pr. aur. t. 16. form. juram. quod def. à parte parti gl. 6. n. 2.* suadet, ut supervacuæ & pomposæ subtilitates de medio tollantur. Supervacuæ igitur istæ subtilitates non solum in jure non sunt admittendæ. *S. quibus C. de nov. Cod. fac. Pruckm. cons 50. n. 299.* Sed earum quoque artifices è benè constitua Repub. prorsus exterminandi, isti scilicet callidi, versuti, avari, fallendi, decipiendi, simulandi dissimulandiq; insignem peritiam habentes, quales hoc malitioso seculo à sui similibus *Industrii & Politici*, minus poltè nuncupantur. Nam uti subtilitate & pomposâ verborum solennitate; id est, liegen vnd triegen / solches helt man an etlichen orten für spitzfindige Subtiliteten vnd Spannische Graviteten. *Keller l. 2. de off. jur. pol. c. 7.* Sed & isti lucrosi & saginantis eloquentiæ candidati, qui lites malas meliores, & bonas peiores reddere satagunt, nec ullam legem aut obligationem tam sanctè & firmiter sancitam aut scriptam sentiunt, & consentiunt, quin infirmari possit. Das seind Juristische possen vnd stücke. Honestiores & scapham nominantes, qui contrarium statuunt, *Simplicistas* vocant. *Non est simplicitas digna favore magis. Hering. de fidejuss. c. 7. n. 594. Auct. disc. vom Justitienwerck p. 84.* Hi philodici non jam tondere clientes, sed & deglubere, imò totos vorare cupiunt: securi quem litis eventum fortuna ferat, dum eloculaverint, depilârint, exossarint, quos defendendos susceperant, eo nomine salvi putandi, si

B modicos

2

modicos salvos relinquunt. Quem subtilizandi vel potius prædandi usum, quis non inhumanum in sociabilemque nominaverit? Advocati (de quibusdam nebulonibus loquor, inquit Zasius) quæ paulò ante ut honesta defenderant, mox si lucrum suadeat, verutiis suis & subtilitatibus subvertunt, Solis & Justitiæ oculos frustrantes, calumniantur, tergiversantur, cavillantur, ut lites trahant, differant, augeant, & ut cum gl. dicam in l. quod si nolit ff. de Edil. ed. causas pessimas facie honestatis induunt: quos certè quomodo non juris eversores potius, quàm Professores dixeris? Omnis eorum cura, omne exercitium, omnis conatus, omnis cogitatio circa lites & jurgia consistit, qui lites tanquam IV. Elementis conservantur & nutriuntur. Quod si iudices in omnibus morem non gerant, ad eorum libitum decernant, pronuntient, definiant, exequantur; illos inscios, ineptos, rudes, injustos, impios vocant, affirmant, proclamant, divulgant, ut ex Quintil. Mandosa de ingratis. c. 78. refert. Job. Bapt. Magon. de rect. patrocinii. p. 2. c. 57. n. 7. De his facetè Olivori. Maillardus Sorbon. Dom. 1. Adv. Serm. 11. ait, Diabolum quondam ægrotum, neque pitices neque carnes, sed pastillum de linguis rabularum comedere voluisse. Matag. de Matagon. ad Italo Gall. p. 254. Sacra quidem res est, & propè divina afflicto clienti patrocinium præstare, lapsum prudenti consilio erigere, fatigatum & oppressum recreare & juvare: At verborum subtilitate celare veritatem, flagitiosos poenis eximere, fraudes tegere & dissimulare, non Advocati munus est, sed impostoris. Robert. rer. jud. l. 2. c. 19. Aliud namque est Jurisprudencia, aliud Ars rabularia, aliud vera & non fucata, aliud Sophistica. Matag. de Matagon ad Italo-Gall. p. 248. Aliud artificium, aliud maleficia quod jactant, Es sey keine kunst eine gute sache zu erhalten/ sondern eine böse zu gewinnen. Audi. disc. von Justitienswerck p. 88. Partben. litig. l. 1. c. 9. n. 40. Carpz. Jurispr. for. part 1 const. def. 18.

V. Legata & fideicommissa sunt inter se exæquata. §. 3. & l. 2. C. comm. de leg.

VI. In primis legum cunabulis studiosis nulla introducenda difficultas. §. 3. Quippe qui initio lacte nutriendi, tanquam

tanquam in prima studiorum infantia. *Hottom. ad §. 2. §. de
 just. & j. Em. 2.* Bonum certè factum! At nunc consideret quis
 mihi multitudinem librorum juridicorum, quæ mole suâ rui-
 nam minitari videtur nostræ jurisprudentiæ. Non unus Justinia-
 nus Augiæ hoc stabulum repurgare queat: Nam libri qui expla-
 nare Jurisprudentiam debebant, multitudine eandem obscurant:
 ut nisi natator insignitè peritus iis contingat, periculum sit,
 ne Studiosus in iis suffocetur, mergaturque. Rectissimè JC.
 Scævola dicere solitus est: *Jus civile vigilantibus scriptum esse, non
 dormientibus*: Sentiens Jurisprudentiam non sine summo percipi
 studio. Res certè usque adeò laboriosa & subtilis ea est, ut quis
 etiam post absolutam studiorum cursum, parum admodum sit
 assecutus; & ferè tunc demum ineptum se deprehendat, cum vel ad
scribendum & de Jure respondendum calamum arripuerit: ut igno-
 rantiam suam, priusquam in forum accedat, aut ad res gerendas
 animum manumque applicet, nescire videatur. Hujus vero vitii
 atque incommodi, aliquot esse Cautiones atque provisiones *Cl.
 Besoldus in templo Justitiæ p. 75. n. 77.* reputat. Ac primò omnium,
 haud unquam consultum putat; ut Studiosus leges adhuc discens,
 multis se obruat Libris; & ad textus lectionem adhibeat, sed inter
 Doctores habeat Delectum, Ante omnia autem *Juris nostri Ele-
 menta* ullo sine Commentario cursim perlegat in templo nostro
Νεοκλατηχός. Perlectum ab initio, Commentario tum aliquo
 (*Wesenbecii, Rittersbusii aut Borckholdi*) adhibito repetat. His
 adjungi possunt *de Verb. Signif. & Regulis utriusq; Juris* tituli u-
 tiles, & summè necessarii cum explicatione *Neldelii, Matthæi &
 Góddæi*, ita ut semper *Job. Calvinii Lexicon* ad manus sit, & in eo,
 quæ minus nota occurrunt verba, statim investigentur, phrasæq;
 ac Juris formulæ quàm familiarissimæ studicis reddantur. Insti-
 tut. ita cognitis ad *Lectionem Pandectarum* accedat: Sic tamen,
 ut ante cujusque tituli lectionem, *Paratitla* præmittat *Cujacii &
 Wesenbecii*. Idem postea facturus in *Codice*, eodem nempe modo,
 adhibitis *Cujacii* in eundem *Paratitlis*: quo opere à Cujacio nul-
 lum (ut rectè putat *Magnus Veltejus*) factum est elegantius & ab-
 solutius. Hæc ut subsequantur *Novella*, necessum est: quarum
 sensum deteget *Cujacii* vel *Joachimi Stephani* in easdem expositio.

*l. pupillus ff.
 quæ in fraud.
 credit.*

Consuetudinum Feudificatarum intelligentiam suppeditabit *Job. Calvini* aut *Hattyseri feudalis Jurisprudencia*. Canonicum seu Pontificale Jus, strictius attingat Studiosus, initio ab Institutionibus *Joach. Stephani* facto, quas *Nicolai Frerotii Paratula* excipiant. Præterea non est, ut quem in cursu Læctionis remoretur Lex vel textus aliquis difficilior, cujus enodationem non aperte suppeditent *Gotthofredi nota*. Ut enim omnia protinus intelligantur, fieri nequit: & verò JCtis exercitatissimis, etiam sæpe numero multa non sunt satis obvia. Magis accuratam legis aliqujus interpretationem exigente necessitate ex aliis Juris nostri sedibus petere poterit. Rectissimè igitur studiis nostris consulamus, si libros maximè necessarios, eosq; ex omni antiquitate selectissimos atq; utilissimos, crebrò evolvamus & diligenter. Quod ipsum suadet *Plinius*: *Multum legenda esse, non multa*. Idemq; extulit *Quintilianus*: *Optimis assuescendum est: & multa magis, quàm multorum læctione formanda mens. & ducendus est Color. Certis igitur ingenis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubiq; est, &c. Distrabit animum librorum multitudo*. Hoc idem Juris non negligere debet Discipulus. Controversias is ex *Fachineo* & *Bronchorstio* cognoscat; Actionum & Exceptionum ex *Oldendorpio* & *Zangero* percipiat requisita. Ex *Ferrario Montano* vel *Emerico Rosbachio*, *Judiciorũ solennia*: Feuda ex *Rittershusii* & *Vulteji* partitionibus: Hodiernum Imperii statum ex *Baurmeistero*, *Stephano Reinck*, *hauriet* & *Lymnao*. Usum referendi & de jure respondèdi, *Mynsingeri* & aliorum dabunt *Consilia*. Cæteri, si quos habet, non alio legendi fine, quàm eorum ut argumentum cognoscat, idq; occasione ferente quærendo sine labore invenire, suisq; usibus accommodare sciat. *Probatos itaq; semper legat: & si quando ad alios divertere libuerit, ad priores redeat. Fastidientis enim stomachi est, multa degustare: quæ ubi varia sunt & diversa, inquinant non alunt*. Cum autem Juris nostri scientia adeò latè se extendat, ut Limitibus carere, nullamq; disciplinam memoriæ officium magis, quàm Legalis desiderare videatur scientia: Hincq; jam olim, propter multiplicem, diversissimarumq; rerum cognitionem,

7. Ep. 9.

10. c. 2.

Seneca Ep. 2.

Seneca ibid.
per totum.

tionem, *Memoria Jctorum*, in Proverbium quasi abierit; Inde maximi nominis Jcti tum necessitate summâ, tum utilitate longè maximâ compulsi, *Locos*, ut vocant, *communes*, atque ita quasi Memoriam localem comparandam sibi existimarunt. *Tantum enim scimus, Memoriam quantum tenemus*: Omnia verò Memoriam ut infigantur, fieri haud potest, quippe quæ labilis est, usque adeò; *ut omnia continere, divinitus sit potius quàm Mortalitatibus*. Ergo quod hominis complecti nequit Memoria, fidelis conservet Adnotatio, studiorumq; ne depereat labor, efficiat. Præ omnibus autem facillima, & omni superstiosâ carens sollicitudine *Alphabetica* Besoldo probatur *dict. loco p 77. n. 79*. Plura qui desiderat, adeat *Parlador ad fin. libr. rer. quot. Facbin. l. 9. c. ult. Vult. in Jurispr. Rom. proleg. Gribald. meth. jur. stud. c. 6. & c. 22. Richt. obst. anim. c. 10. Lips. c. 12. Ep. inst. Mommer. in epist. Ant. Matb. not. ad Inst. proem. Calvin. de studio Jur. inf. per tot. Pacium de method. juris. & alios.*

*Consist. de
conf. ff. §. 18.*

VII. *A simplicioribus inchoandum. d. §. 3.* Est enim & *sua studis infantia*, ut ait Fabius. Et Aristot: *Prius, inquit, lineamenta prima ducenda sunt & opus informandum: post, veris coloribus utendum erit.* Ut vasa angusti orificii liquorem copiosum non capiunt, sed respuunt: Ita ingenia imbecillia nimium onerata. Sint igitur studiosi in primis studiorum incubulis diligentes juxta ea, quæ Faber *ad §. fin. Inst. proem.* refert: *Si quis fortè velit Jureconsultus haberi: Continuet studium; Velie à quocunque doceri; Invigilet, nec vincat eum tortura laboris: Fortior insurgat, cunctisq; recentior horis.* Ex quibus *Glossa* instruit studiosum juris. 1. Ut sibi despiciat locum aptum. 2. Ut eligat doctorem idoneum. 3. Ut studio vacet. 4. Ut se ad diversa non distrahat. 5. Ut continuet studium. *Schneidw. ad d. §. fin. p. 8.* Nam non incipere solùm studium, sed id continuare debet. *Non enim initium, sed finis laudatur.* *Por commencar las obras no ay gloria, ni premio: à la duracion y fin se deve.* Ant. Perez. in Aphor. p. 33. Vid. *Ax. 3. ad proem. Inst. & Ax. ad §. 2. Inst. de l. & l.*

IX. Eruditi facilè possunt naturam cujusq; rei subtilioribus auribus accipere, *d. §. 3. in fin.* Etiam si na-

act. 2. sc. 4.

turalis hominum ad dissentiendum facilitas, ut ait Ulp. in l. 17. § 6. ff. de recept. arbitr. Sunt enim eorum variæ voluntates. l. 4. ff. ad SCtum Treb. Secundum illud Comici in Phorm. ubi ex tribus Consultoribus unus ait, alter negat, tertius dubitat, dum amplius deliberandum censet. Quocirca bellè Ovidius: *Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figura*: Cui consentaneum illud Persii: *Mille hominum species & rerum discolor usus, Velle suum cuiq; est, nec voto vivitur uno*. Neque dissonum istud Taubmanni par.: *Cuiq; suum caput est, ut Pileus: improbat Hermes, Approbat Hermannus, nec idem placet omnibus unquam*. Unde & Germanorum proverbium ortum: *Wie viel Köpffe! so viel Kröpffe*. Interim tamen Eruditi & qui jura in scrinio pectoris sui habent, facilè possunt naturam cujusq; rei cognoscere. Nam secundum alterum illud Germ. *den Gelehrten ist gut predigen*. Quamvis non semper ad auctoritatem respiciendum. *Nam unius forsàn & deterioris sententia multos majores superare potest*. l. 1. C. de vet. Jur. en. Neque considerandum quis dicat, sed quid dicat: *Sapè etiam est olitor valdè opportuna loquutus*. Et summi gubernatores, ut Cic. inquit, in magnis nonnunquam tempestatibus à vectoribus etiam admoneri solent. Itaque quisquis *Justitiam loquitur, Veritatem loquitur, Salutem Patriæ loquitur*, istius sententia est amplectenda. Vid. Cl. Jctus D. Finckelthaus *pref. ad Lect. in Observ. Keller de off. jurid-pol. proam. p. 7. Klock. de contrib. c. 6. n. 58. Parthen. lit. pref. ad Lect.*

Phil. 2.

IX. Semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit. §. 4. hinc. in fin. l. 2. 21. 23. ff. de probat. l. 23. C. eod. tit. l. 4. C. de edendo.

X. Duæ lucrativæ causæ in eundem hominem & eandem rem concurrere non possunt. §. 6. hinc. l. 17. 19. ff. de O. & A. l. 108. §. 4. de leg. 1. Ubi hæc ratio redditur: *Quod bis eadem res præstari non possit*. Et videtur ratio rat. esse; quoniam unius rei duplex dominium esse non potest: Ac sicuti plures unius rei domini in solidum esse non possunt, ita unus sæpius ejusdem rei dominus fieri non potest. l. 66. §. 1. ff. de leg. 1. Et contra naturalem æquitatem ac bonam fidem facere videtur, qui petit id, quod jam

jam

jam habet, & quidem sine suo incommodo & onere; qualis avaritia non est ferenda. *l. un. C. de cad. toll.*

XI. Cui pretium abest, ipsa res abesse videtur. *ibid. § l. 14. de V. S.*

XII. Quod meum est, amplius meum fieri non potest. §. 10. *hic.* Nam non potest dominium, nisi ex una causa, contingere §. 14. *infr de act.* Nec nisi apud unum tantum, illud in solidum consistere. *l. 5. §. 15. ff. commod.* Deinde quia legatum est donatio, jam verò nulla est liberalitas, si quis rem actori, quæ jam tum habet, daret: Et denique quia legatum ab initio consistere debet; non autem ex post facto convalescere *l. 41. §. 2. de leg. 1.*

XIII. Plus valet quod in veritate est, quàm quod in opinione. §. 1. *hic.* Quamvis opinione, *ex mente Jovis,* totus regatur mundus; quippe qui vult decipi. *Auct. disc. von In-stit. en venice. p. 87 & 94.* prout Caraffa Pauli IV. nepos Parisias ingrediens, & signum crucis edens, populo in genua prostrato, secretò dixit: Quandoquidem populus iste vult decipi, decipiatur. *Thuan. l. 12. bist. p. 298.* Immotum tamen manet, manebitque Axioma illud juris obligatorium: VERITATEM semper summo opere inquiri & servari: FALSITATEM vero explodi debere. *Keller de off. jur. pol. l. 1. c. 20.* Quia Veritas justitiæ conjuncta, est æquatio rei ad intellectum, *secundum Philonem:* Vel ipsa rei existentia, *ut ait gloss. in auct. de fide instrum.* quam sequitur *Barbat. in c. pastoralis n. 57. de rescript.* ubi veritatem viam latam vocat, per quam omnes transeunt; Germani *die breite warheit sagen* quod si fieret in omnibus judiciis, minus litigiorum esset, quia Veritas Jctis est ipsa rerum constantia, firmitudo, basis ac fundamentum Justitiæ. *Borch. conf. 9. n. 1.* Unde Veritatem amans est amator Justitiæ: amator Justitiæ, boni publici conservator: Conservator boni publici, litium & publicarum & privatarum oppugnator: Oppugnator ejusmodi litium bonæ conscientiae mediator: Mediator omnium CHRISTUS JESUS noster Salvator, salvam & immunem redditurus omnem Rempub. à litibus, malitiosis opinionibus, nequitiis, flagitiis & ejusmodi vitiis. Ita
lex.

2. bist.

lex Solonis fuit; *Mentiri noli*, quia substantia veritatis falsâ demonstratione immutari nequit. *l. cum falsa, ubi dd. C. de jur. & fact. ign.* Nec cursum ejus impedire debet passivum illud dicitur: *Obsequium amicos, veritas odium parit*; quia veri amici veris obsequiis, non assentationibus parandi sunt. *Ordelaeph. ad l. fin. n. 374. de R. V.* Et alterum Juridicum: *Opinionem veritati præferri*; quia illud dicitur propter auctoritatem rei judicatæ, non autem ut opinio veritati præferatur, & ne lites multiplicari contingat, unde res judicata pro veritate habetur fictione inductiva. *Cujac. 10. O. 12. Reyg. d. 8. pr. jud. tb. 15.* Sed ô Veritas, cum potentissima sis, sine quâ Rex est Tyrannus, *ut inquit Ordelaeph. d. l. fin. n. 568.* quàm multi te oppugnant, & feriunt summos fulgura montes. *Lucifer in cœlo, Primi parentes in Paradiso, superiores terra,* quando JUSTITIAM non exercent, *Judices* quando lites non determinant; *Religiosi* quando hypocrisi vivunt, *Aulici* quando adulatione utuntur, *Advocati* quando lites injustas fovent, *Christiani*, quando secundum Dei verbum non faciunt, & alii infiniti veritatis osores, proditores. *Partben. litig. l. 1. c. 10. n. 19. & l. 2. c. 8. per tot.*

Eurip. suppl.

Augustin. 4. de civ. Dei 4.

XIV. Constitutiones omnia in meliorem statum informant. *S. 23. bñc.* Certè debent! Leges enim ideò inventæ sunt, ut cum omnibus unâ eademq; voce loquerentur; & neque gratia inflecti, neque adulterari possent pecunia; sed quarum & *inferioris homo sortis, Et qui ditior est, æquale jus experiuntur.* Ut nunquam Constitutionum dignandum appellatione, quod non Justitiâ & æquitate sit fulcitum. Non enim aliud sunt *Regna remota Justitiâ,* quàm magna & publica latrocinia, ubi plausum & impunitatem sceleribus parat non innocentia ratio, sed magnitudo sævitia. *Besold. in templ. Just. p. 3. n. 4. & 6. & ax. 2. supr. b. tit.*

Tzetzes p. 263.

XV. Constitutionibus diligentiori habito tractatu aliquid addendum. *ibid.* Leges etenim & omnia vite humana negotia mutabilem habent conversionem, & fluxa sunt, & nova novis superveniunt quotidie. Sicut itaque Naucleris sæpè mutanda est velificatio, utcunque in alto ventus est, ita & Constitutiones Rerumpubl. gubernatoribus, ubi rei commoditas exigat, mu-

git, mutandi. Sed *diligentiori, habito tractatu*: Quia magna res est legislatio, atque ideò in eâ coire viros prudentes oportet. *l. 8. C. de ll.* Et eo sensu: Lex dicitur consultum virorum prudentum *l. 1. ff. ibid*: Sic Alexander Imp. nullam constitutionem sacra- vit sine XX. Jurisperitis. Vid. *Reinck. de Reg. sec. l. 2. cl. 1. c. 4. n. 8. & 10. Först. bist. Rom. prof. Lips pol. l. 3. c. 2. Partb litig. l. 1. c. 2. n. 15.*

XVI. Nec Sortis iudicium contemnendum. *ibid.* Probatur cum jure divino. *Num. 16. Deut. 1. v. 38.* ubi terra per sortem divisa. *Act. 1. v. 26.* ubi Matthias per sortem ad Aposto- latum pervenit, & κληρικὸς, quasi sorte datus dicitur. *Alciat. 5. par. 22.* Tum jure civili. *lib. 14. de judic.* Sorte rem discernendam esse, quis litigantium Actoris vel Rei partes obtineat. *l. 2. post. pr. C. quib. quart. pars lib. 10.* Tum denique exemplis illustribus. Sic Romæ dignitates omnes, è quibus maximæ interdum lites, per sortem cuivis obveniebant, teste *Livio. De Germanis Cesar lib. 1. l. 2. & 5. de bell. Gall. & Corn. Tacitus de mor. Germ.* quod in omni gente *dec. 4.* Germanica sortium eventus plurimum invaluerit. De Rugianis sive Rugiis Pomeraniæ populis *Crantz. lib. 5 Vand. c. 11.* quod Flamen sortibus, Flamini Rex paruerit. De successoribus Alex M. testatur *Justin.* quod sorte diviserint Regna. Ergo hoc litium quoq; *lib. 13.* abbreviandarum remedium & æquissimum & brevissimum, quod nostri vocant *Kaselen* / quasi *tan fehlen oder glücken*. Si tamen alter litigantium sortis iudicium subire nolit, contentio sorte non dirimenda. *Schneidvv. 4 Inst. tit. 6. n. 63.* cum sortis hoc reme- dium locum non habeat, nisi in casibus à jure expressis. *Oldend. cl. 4. act. 22. n. 10.* Sed si uterque semel in illud consenserit, nulla ab eo datur appellatio, nec restitutio in integrum, ut aliquis sit liti- um finis; nisi fraudem intervenisse quis probare velit. *Marant. in spec. aur part. 6 tit. de app. n. 275.* Quia sortis mater Fortuna vulgari- ter dicitur. *Tiraq. de jure prim. q. 7. op. 1. n. 87.* At fortuna in hoc mundo non habet superiorem, ejusque dux DEUS est, qui sortem temperat, facitque cadere, secundum *Salom.* Vid. *Don. En. Hillig. Prov. 16. l. 17. 24. x, & l. 28. 6. 11. & 21. 10. B. Partben. litig. l. 2. c. 5. n. 8. Har- v. 33. pr. hic. p. 1117. n. 11. & c.*

XVII. Legari illis solum potest, cum quibus est testamenti factio. §. 4.

XVIII. Certo iudicio debet quis suæ posteritati cavere §. 27.

XIX. Nomina significandorum hominum gratia reperta. §. 29. De nominum speciebus. Vid. Harppr. hîc. p. 1126. n. 2.

XX. Falsa demonstratione legatum non perimitur. §. 30. & 31. Nam demonstr. rei cognoscendæ atque significandæ causa adhibetur. Itaque *re ipsâ cognitâ, non curatur demonstratio.* Legatum quippe est rei & corporis: De quo si constat, id est, si constat de substantia, non est curandum de accidente. l. 17. l. 33. ff. de cond. & dem. Harppr. & D.D. hîc.

XXI. Caput atque fundamentum totius testamenti est heredis institutio. §. 34.

XXII. Voluntas prævalet scripturæ. *ibid.* Sic voluntas testatoris, quæ tanquam Regina testamentarias dispositiones regit, præferenda est ordini scripturæ. l. 19. pr. ff. de cond. & dem. Unde rectè *Interpp.* notant: Ordinem scripturæ non spectari si ve attendi, si de mente & voluntate disponentis constet: Secus verò esse, si scripturæ ordo ad conjecturam dubiæ voluntatis faciat, vel non à mero disponentis arbitrio, sed à solenni forma legis pendeat. *Schneidvv. hîc. n. 3 & 5. Harppr. hîc. p. 1134. n. 4. Vid. Ax. 3. b. t.*

XXIII. Libertas favorabilior lucro pecuniario. §. 34. & §. 1. *infr. De eo cui lib. c. bona add.* Quare dolendum vehementer, nonnullos ipsorum è Germanorû numero, *magnitudine pecunia à bono honestoq; in pravû abstractos: cecos avaritiâ: queis omnia honesta atq; inbonesta vendere mos est: quiq; licentiam ac opulentiâ suam malunt, quàm omnium libertatem: qui fama, fidei, postremò omnibus rebus commodum suum anteferunt; Et Libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit, externæ libidini prostituunt. Hoc miror, exclamat Cicero, quororq; quemquam hominem ita perfundare alterum velle, ut etiam navim perforet, in quâ ipse naviget: Rempub. evertat, cum quâ sibi quoque cadendum: perire ipse, quam non perdere alios præoptet* O factum parum humanum! ô minus Germanum, ô minimè omnium Christianum!

Nam

Sallust. Jug.
c. 19. & 80.
Liv. 3 c. 37.

Sallust. Jug.
c. 16. &
Cæcil. c. 33.
Orat. pro
Pisone.
Justin. l. 8.
c. 4.

Nam quid hic aliud habet, quàm animum ad Legum fundamenta-
taliū, libertatis, patriæ prodicionem paratum? Si *judex* à liti-
gatoribus, *Proconsul* à Provincialibus, accipere dona prohibetur:
quàm multò minus id subdito à non-domino permittendum?
Certè ut parum pudica est mulier, quæ ab alio, quàm à marito
accipit: ita is parum verè civis, qui se alibi quàm suis devinciri
sinit. Cum itaq;

*l. 6. §. ult. ff.
de off. pro-
cons.*

XXIV. Impossibilia, legibus interdicta, aut aliàs
probrosa non valent. §. *fin. hinc*. Quid ig. illis futurum, qui non
modò egregium publicum & bonas domi artes debonestaverunt, sed
& avitam illam gentis nostræ laudem, quod FIDE nulli mortali-
um ante Germanos sint, turpiter corrupèrunt? Nam profectò pa-
tria deesse, quo ad vita suppetat, (nedum illam externo homini
prodere) aliis turpe, Germanis etiam nefas est. Certè esse deberet!
Nam si aut suarum rerum, aut partium in Repub. magis quàm Pa-
tria memores esse pergant (Quis autem bonus civis secernit sua à
publicis consilia) non erit quod maturatam patriæ cladem valde
mirentur; Quoniam (audiant hoc à Teutonicis Imp̃p̃ Carolo M.
& Ludovico Pio, Teutones, ac recondant in pectora sua) *si nos i-
p̃sos comedimus, citò deficiemus.*

Tac 3. an 70.

13. ann. 54.

Liv. l. 5.

c. 51.

Liv. l. 8 c. 12.

Excipit.

Carol. M.

ed. ab A-

merb.

XXV. Scrupulositas fugienda. §. *fin. hinc*. Verborum
tendiculæ, inquit *Sarisberiensis*, proponuntur, & aucupationes
Syllabarum, væ simplici, qui syllabizare non novit. Sed ut is,
qui Legibus utitur nimium exatè, *Sycophanta esse videtur*, quia
ex æquo & bono, non ex callido versutoque jure negotia di-
judicanda: Ita, qui sanguine quàm æquitate, armis quàm caussa re-
tinere majoribus parta, & omnia perdendi discrimen adire, quàm
aliqua servare malunt, haud boni cives. Nam non solum spe-
ctandum est, quod velis assequi; sed quanta bonorum rerum ja-
ctura, quantis periculis, quantis calamitatibus sis assecuturus, ut
vel maximè assequaris. Certè si multæ florentissimæ gentes ac
Respub. memoriam simultatum patriæ remisissent: nec se sivissent
odii privati aut nimis scrupulositatis pertinaciâ in publicum exitium
simulari, non coacti tandem fuissent, isto bucolico planctu ni-

l. 5. de nug.

cur c. 16.

Partib. lit.

l. 1 c. 1.

n 25.

Bejol. templ.

Iust. p. 84.

Tac. 14.

An. c. 2.

Liv 9. c 38.

Tac. l. Inst.

c. 33.

Virg. l. 1. mium serò damnare stultitiam suam: — *En quò discordia cives*
Perduxit miseros! en queis conseruimus agros! Hoc enim usuuenire
Polybius l. 5. solet, ut suspitionis, scrupulosa contentionis, ira omnia plena sint, cum
Tac. 15. An. incepta nostra deserunt successus. Quare multò satius, omisissis pra-
29. & 1. An. cipitibus scrupulositatibus, cura & salutaria capessere: vetera nouis,
46. & 39. & quicquid turbidis antehabere: non seipsum Remq; publicam in casum
dare: sed jungere potius amabili fædere pacificationeq; dextras,
quàm armorum furore miscere: moderatione, compositione a-
micabili, ac sapientiâ potius extinguere motuum civilium hancce
flammam, quàm armis & ferro Rempub. ulterius in discrimen addu-
Cic. Phil. 5. cere: Denique Pacem utrique ex aequo utilem amplecti: quippe in
Tac. 14. An. pace eaussæ & merita spectantur: ubi bellum ingruit, innocentes ac
13. & e. An. noxii iuxta cadunt. Civium miserorum bona, quasi præda hosti-
48. lis venû aut dono dantur, quæ sanè promiscua cædes & vastatio,
præsentium Germaniæ malorum non medicina, sed potius clades
patriæ dicenda, quam qui votis exoptat, aut factis adiuuat, audiat
1. An. 49. oportet ab Homero elogia sua: Ille nefarius, & sine gente tribuq; mi-
Iliad. 9. bi esto, Qui civile cupit ferum & execrabile bellum: audiat ab Ho-
Philipp. 2. meri paraphraste Cicerone: Nec privatos focos, nec publicas le-
ges, nec Libertatis iura cara habere potest, quem discordia, quem ce-
des civium, quem bellum civile delectat; eumq; ex numero homi-
minum ejiciendum, ex finibus humana nature exterminandum
puto.

TIT. XXI.

DE ADEMPTIONE LEGA-
TORUM.

Hactenus de constituendis vel relinquendis legatis; conse-
quenter nunc de iisdem iterum adimendis, transferendis, vel quo-
que minuendis. Adimuntur autem liberrima defuncti volun-
tate, eaq; vel expressâ, *putâ; non do, non lego. princ. htc.* vel tacitâ,
facto aliquo testatoris *Harpr. n. 12.* Transferuntur ab alio ad
alium: Et utraque sive eodem testamento, sive codicillis facta sit
nihil interest. *pr. & §. 1. b. t.*

QUÆ

QUÆST. I. Num generalis revocatio Legatorum etiam super eo, quod ad pias causas est relictum, lata censeatur? Aff. cum Münchbauf. contr. disc. q. 35. Harpr. bñc. p. 1141. n. 9. Contra Socin. & Tiraquell.

II. Si testator ita dixerit: Lego Sempronio, quod Cajo legavi: utrum videatur Cajo prorsus legatum ademptum? Aff. cum Arum. Ex. 10. tb. 16. Fachin. 5. contr. 52. Hunn. 2. var. res tr. 8. q. 17. Harpr. p. 1146. n. 5.

TIT. XXII.

DE LEGE FALCIDIA.

MEMBRUM I.

Continens Textus Continuationem.

Deminuuntur Legata per L. Falcid. quâ cautum, ne liceat testatori ultra dodrantem legatis heredem onerari, sed ut quarta pars apud eum remaneat. *princ.* Quam singuli heredes pro suâ quisq; parte legatis detrahere possunt. §. 1. Deducto tamen prius ære alieno à defuncti patrimonio §. *fin.* Cujus quantitas mortis tempore spectatur. §. 2. *bñc.*

MEMBRUM II.

Continens Quæstiones.

I. An testator ut Falcidiam ita & Trebellianicam prohibere possit? Quam quæst. *Clarus* terribilem & arduam vocat. Nos aff. ducimus cum *Frantz.* Ex. 7. q. 9. *Hænon.* d. 11. tb. 18. *Harpr.* p. 1182. n. 4. Contra *Arum.* d. 9. tb. 2. *Fachin.* 5. contr. 4. *Hillig.* *Dom.* En. l. 7. c. 29. a. & *Berens* d. 7. tb. 4. q. 2.

II. Utrum in Falcidiam heredi imputentur etiam ea, quæ jure legati, vel fideicommissi, vel implendæ conditionis capit? *Neg.* cum *Fachin.* 5. contr. 15. *Arum.* Ex. 9. tb. 17. *Harpr.* pag. 1162. n. 12. *Hænon* d. 11. tb. 6. & 14. Contra *Cujac.* l. 8. O. 4.

III. Num filius præter Falcidiam sive Trebellianicam (si rogatus sit hereditatem restituere) legitimam quoque, adeoq; duas

quartas detrahère possit? Neg. *cùm Menon. d. 11. tb. 13. Arum. d. 9. Ex. 18. Riem. dec. 7. q. 8. Först. d. 14. tb. 16. Harpr. p. 1155. n. 12. Carpzov. Jur. for. p. 3. c. 1. d. 20. Contra Cont. Vac. à Vacun; & Falcid. 5. contr. 2.*

DUBIUM: Quomodo *princ. b. t. quæ testatorum; & l. 71. ff. b. t. quæ heredum gratiâ Leg. Falcid. promulgatam esse volunt, secum in gratiam reducenda? Πονομένην hanc pugnam tolles, si ex præscripto Hottom. Rittersb. & Bachov. diversum respectum consideraveris. hic. Vid. quoque Carpzov. p. 1. c. 13. d. 12. n. 5. Jurispr. for.*

MEMBRUM IV.

Continens Axiomata & Digressiones.

I. Voluntas testatoris vim legis habet. *princ. hic.*

II. Licentia coarctanda. *ibid.* Magna quidem est ætatis hujus corruptela, ac difficulter rescinduntur abusus, aut reformantur mores, qui tamdiu in proclivia vitiorum incubuerunt. *l. 2. ep. 2. Consensere jura peccatis (inquit D. Cyprianus) & caput esse licitum, quod publicum erat.* Interim tamen totis viribus enitendum, ut licentia coarctetur, & antiquæ disciplinæ tam Ecclesiasticæ quàm Secularis puritas & sinceritas quasi postliminio revertatur. *Lamprid. in ejus vita.* Nam rectè Alexander Severus dixit: *Disciplina majorum Rempub. tenet, quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus.*

III. Lucrum vel minimum allicit homines. *arg. pr. ibid.* Secundum illud Plauti: *Omnes homines ad suum questum callidos esse.* Reperiuntur enim & hodie *Magnates*, quibus illud Vespasiani arridet: *Lucri bonus odor ex re qualibet;* Et alterum Sophoclis: *Nullum cum lucro malum;* Itemq; Euripidis: *Laudato iusta ceterum lucro hereas. Lucrum enim pudore melius.* Reperiuntur sancti *juris eversores* & forenses *rabulæ*, qui in hoc legum usum collocant, ut lucrum ipsi solum corrudent, execrabilem illam vocem subinde eructantes: *Hoc est de pane lucrando:* Qui pauperibus non militant gratis adverbialiter, sed in casu dativo, litigatorum marsupia exenterando, & dicendo, *Schick's tibi est casus dativi;* Quorum si nares afflaverit cujusquam rubiginosi
aura

aura marsupii, confestim videbis illis oculos Argi, manus Briorei, Sphyngarum ungues, perjuria Laomedontis, Ulyssis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymnestoris adhiberi, *ut ait Cassiod. referente Schönb. l. 3. pol. 4. Partben. litig. l. 1. c. 8. n. 4 &c.* Sed longè tamen veriore ego esse puto sententiam illam, P. Mimi: *Lucrum sine damno alterius fieri non potest. Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum.* Et Diogenis: *Damnum potius, quam turpe lucrum eligendum est.* Nam certè: *Spes mali lucri, damni initium est:* Et, *Nemo habet injustum lucrum, sine justo damno.* Nic. Reusn. *Symb. Imper. p. 34. Gail. de P. P. c. 4. n. 33.*

Xenophon.
Augustin.

IV. Id est sufficiens, quod novissimum *ibid.*

V. In singulis heredibus ratio legis Falcidiae ponenda §. 1. *bic.*

VI. Quantitas patrimonii mortis tempore spectatur. §. 2.

TIT. XXIII.

De fideicommissariis hereditatibus & ad Sctum Trebellianum.

MEMBRUM I.

Continens textus Continuationem.

Haecenus de testamentaria acquisitione Directa ex Institutione & Substitutione; sequitur jam Obliqua seu Fideicommissaria, quâ testatori obliquè per intermediam personam succedimus: ut, *Rogo te Luci Titi, ut hereditatem meam restituas Sempronio.* Qui rogatur, Heres est & manet. §. 3. Et potest quartam ex hereditate per Sctum Trebell. detrahere §. 5. & *arg. tit. præc.* Cui hereditas restituitur, dicitur *Fideicommissarius*, & pro herede habetur. Est autem fideicommissum duplex, universale seu generale totius hereditatis; & absolvitur 4. capitibus, quorum I. est de origine & incremento fideicommissi. §. 1. II. De Forma. §. 2. 8. 10. & 11. III. De effectu. §. 3. 4. 5. 6 7. & 9. IV. De modis probandi fideicommissa; per quinque nempe testes.

QUEST.

QUÆST. I. Num testator prohibere possit Trebellianicam quoad liberos primi gradus? Neg. *cum Först. d. 14. tb. 18. Fachin. l. 5. contr. 4. & l. 11. c. 11. Gerb. d. 10. q. 10. in fin. Contra Vasq. & Hænon. d. 11. tb. 19.*

II. An fideicommissum universale purum, licet nondum agnitum sit, transmittatur ad heredes? Aff. *cum Berens d. 7. tb. 4. q. 1. Harpr. p. 1168. n. 10.*

MEMBRUM IV.

Continens Axiomata & Digressiones.

I. Quod alterius voluntati committitur, necessitatem non inducit. *arg. princ.* Preces enim (*nisi Tyrannorum & Militum Discretiongelde*) non adferunt necessitatem. *arg. l. 11. §. 2. ff. de leg. 3. t. c. ff. de precar.*

II. Solus pudor absque ullo juris vinculo bonos à malo deterret. *§. 1. hic.* Secundum illud vulgatum: *Oderunt peccare boni virtutis amore; Tu nihil admittes in te formidine pœna.* Imò, ex mente Salviani: *Bonæ mentis est, ibi quoq; timere culpam, ubi nulla subest culpa.* Proinde isti saltem metu pœnæ in officio retinentur, qui aliàs ruptis justitiæ habenis, nihil pensi habentes, fronte perfricta, omnia pro sua libidine per fas atque nefas attentarent, sacraq; prophanis miscerent; & appetitus ipsorum noxii juris regulis constringuntur, quibus genus humanum ut honestè vivat, alterum non lædat, jus suum unicuiq; tribuat, informatur: *Istis mandata de non offendendo & alia sunt præscripta remedia; de quibus vid. Gail. de P. P. l. 1. c. 3. n. 6.*

III. Quod justum assiduitate & constantiâ convertitur in succum & sanguinem. *arg. ibid.* Hæc enim constantia discernit habitu ornatum, qui semper idem & continenter vult in rebus honestis, quod alius aliquando. *Conn. l. com. 3. n. 7.* Quæ consistit in procurandâ Reipub. & privatorum utilitate honestâ, ac dirigendis civium actionibus, ut in illis ubique, quantum possibile est, justum refulgeat. *Vid. supr. disput. 1. tit. 1. ax. 1. & 4.*

IV. Et

IV. Et gratia personarum & propria salus debent Principem movere ad auctoritatem suam interponendam, ne bonis ægrè fiat, *arg. ibid.* Proprium officium Principis est, facere judicium, atq; justitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppressos: Miseris civibus, peregrinis, pupillis & viduis, qui facilius opprimuntur à potentioribus, præbere auxilium: præsertim hoc malitioso seculo, quo vacat potentibus opprimere, primoribus rapere, privatis perdere, miseris flere. *Hering. de fidejuss. c. 8. n. 134.* Et ideo in causis viduarum, pupillorum & aliarum miserabilium personarum Cæsarem immediate cognoscere debere, *vult l. un. C. quand. Imp. int. pup. Gail. l. 1. O. 1.* Ne scilicet plus juris habeat Injustior *secundum Hesiod.* Aut minor fiat præda majori. *Besold. l. 1. pol. cap. 1.* Rectè *Plutarchus* scripsit: Justitiam esse finem legis, legis autem officium esse Principis: at Principem imaginem esse Dei, omnia rectè constituentis & disponentis. Und wenn Christliche Regenten Gottes Ehr und der Unterthanen Wohlfahrt von Herken suchen / so wil ihnen Gott mit seiner hülffe beystehen *D. Cramer.* Sed si in causis miserorum jura aut fines modestiæ non servant, neque auctoritatem suam interponant, quo minus bonis ægrè fiat; quis, *inquit Comineus,* illos accusabit? quis pœnam irrogabit? *Breviter!* Eorum quos affixerunt, & fortunis omnibus denudârunt, lamentationes & plangor erunt accusationis loco, quam illi coram supremo Dei tribunali sistent. Interim *Conscientiæ* flagello satis puniuntur. *Gail. de P. P. l. 1. c. 3. n. 13. Sc. Amir. l. 5. diff. in Tac. c. 4. Parthen. litig. l. 1. c. 1. n. 15.*

Hierem. c. 7.

*2. Rig. c. 21.
v. 22.*

lib. 10. in fin

*Lact. 1. div.
inst. c. 24.
Tac. 6. Ann.*

V. Favorabilia non sunt coarctanda. *ibid. in fin.* Sic *mandata de non offendendo,* quia ad pacem publicam conservandam spectant favore digna sunt; & ideo judex in decernendis istis non debet esse admodum difficilis; quia per ista *malitiis hominum* maturè *occurritur,* & latenti malo, ne in deterius & apertam hostilitatem perniciosè erumpat, in tempore remedium adhibetur. *Gail. de P. P. l. 1. c. 3. n. 6 & 9.*

VI. Captiosa antiquitati & excelsis ingeniis semper displicuerunt, §. 7. *bic.* Unde illud *Virg. Prisca & cana fides;* & al-

D

terum

Pro Rosc.
Amer.

1. Petr. 1. v. 2.

Günther. l. 3.

Plaut. Trin.

2. 2.

Ennius.

Tacit.
Liv. l. 22.

Arist. 6. Eth.
cap. 9.

1. Tim. 3. v. 1.

terum Ciceronis: *Homines antiqui, qui ex suâ naturâ ceteros fingent.* Abeant igitur in malam crucem ista stratagemata litigatorientium forensia, *Juristenpossen*; quia fovent lites atque malitiam, continent injustitiam atque falsitatem, quæ ex *prescripto S. Petri* sunt deponenda, imò omnes simulationes monet abjiciendas. *ref. War. ab Erenb. l. 1. de fœd. c. 2. n. 62.* Quia omne captiosum arguit dolum ejus à quo profertur, sive sit collitigator sive Advocatus. *l. 9 ff. de dol. mal.* Et Justitia atque Veritas tunc opprimi videtur & quasi obfuscari, cum ea non legitimo modo defendatur. *c. error dist. 83.* Tam enim Reus est, veritatem qui occultat, quàm captiosum qui profert, eo ipso, quia dum prodesse non vult, æquè ac hic desiderat nocere. *c. quis II. q. 3. cap. 1. de crim. fals.* Antiquis itaque vivito moribus: *Quia Moribus antiquis res stat Romana virisq;* Vid. *Taubm. ad Plaut. Capt. 1. 2. v. 20. Parthen. litig. l. 1. c. II. n. 32. & 39.*

VII. *Circuitus vitandus.* *ibid.* Nam in legibus magis simplicitas quàm difficultas placet. Unde *Plato* in politia optimè constituta paucissimas & simpliciss. esse debere leges statuit: Et *Lycurgus* suas *πνύξας* breviter contexit, & non scripto mandari, sed memoriæ tradi voluit. *Biton. pref. in Baronis manual. libb.*

VIII. Eadem est ratio totius ad totum & partis ad partē. §. 8.

IX. Prius deliberandum quàm inchoandum. *arg.* §. 9. Et *Consilium ante rem!* Nam, qui cupit, festinat: qui festinat, evertit. *Omnia non properanti clara certaq; sunt, festinatio improvida est & cæca.* Itaq; deliberandum tardè; celeriter autem deliberata peragenda sunt. *Lips. pol. l. 3. c. 7. Cbock. l. 3. pol. 20. & 21. Reusner. ad Symb. Augusti: Festina lentè, p. 4. Andr. Rey disc. pol. q. 7. Consilia festinata an & quando præferenda tardis?*

X. Unusquisq; debet conari, ut alium virtute & humanitate possit superare. *arg. S. ulc. in pr.* Quamvis altiora non sint quærenda: Interim tamen nec illud Poëtæ negligendum: *Tentanda via est, quâ me quoque possim Tollere humo,* id quod adeò non est illicitum, ut ipse Apostolus dicat: *Si quis Episcopatum appetit, præclarum opus desiderat.* Nec invenustum est illud M. Aurelii Numetiani Symbolum ex Horatio; —*Esto*

quod

quod audis. Esto quod es, quod non sunt alii, sine quemlibet esse,
Quod non es, nolis: quod potes esse, velis. Attamen debitâ cum
humanitate & modestiâ: Nihil gerentes per contentionem, aut per *ad Philipp.*
inanem gloriam, sed ex modestiâ alius alium se prestantiorem existi- *c.2.v.3. & 4.*
mans. Nec sua quisq; spectare, sed unusquisq; etiam quæ sunt alio-
rum. Qualis fuit Socrates ille Ethnicus; qui nihil se scire præter hoc
unum, quod nihil sciret, dicere est solitus: Et alter Pyrrhus: qui
cum ex pugna victor à suis Aquila vocaretur: Per vos, inquit,
aquila sum, nimirum armis vestris, tanquam pennis sublevor; mo-
destè laudem suam cum militibus partiens. Quo spectat & illud
Socratis: Modestus & humilis est is, qui cum possit elatus esse, tamen
humiliter & demissè sentit. An autem licitum sit honores appe-
tere, & utrum honor magis honorantis, quam honorati, Ethnicorum
relinquimus filiis.

XI. Perfidiâ tentus, fidem adimplere recusat. *ibid.*
Præsertim autem hoc nequissimo seculo plerique hominum jura-
menta non curant magis, quàm antiquæ & ruinosæ domus fu-
mum. *Göden. conf. 10. n. 28. Hering. de fidejuss. c. 7. n. 592.* Perin-
de ac si cum cato aliquo, aut cervo mansuetio. §. 15. *l. de R. D. jo-*
centur, ut loquitur Zasius in l. ait Prætor ff. jurejur. Imò vix uno
obulo æstimant, sed iis ludunt, ut pueri astragalis, dicente *Lysan-*
dro: quia facti sunt cultores ore, re contemptores Dei & Religio-
nis. *not. Bl. in l. post. perf. 24. n. 1. C. de evict. Speckh. cent. 2. cl. 4. q. 17*
n. 4. Pariben. lit. l. 1. c. 15. n. 34. Ebock. pol. l. 2. c. 12. & c.

XII. Curandum, ne depereat ultima testatoris voluntas. *ibid.*

XIII. Mendacii convictum, legum subtilitas non
sublevat. *arg. ibid. in fin.* Quamvis nihil usitatus, proh dolor,
hoc conclamato seculo, quàm mentiri id est, contra mentem ire
& veritatem immutare. *Cypr. de jur. conn. c. 4. §. 15. n. 3* Quotus
enim quisq; est tam in judiciis, quàm extra, qui non contra men-
tem eat, non attento, quod mendacium Judici dictum totum litis
processum nullum reddat? *l. si ut prop. C. quom. & quand. jud.*
Bargal. de dolo l. 5. c. 15. n. 19. Advocatus contra mentem Acto-
rum & colligatorum lites in infinitum differt & protelat: *Colli-*
gatores sæpe contra mentem contractus, testamenti, instrumenti

o. ejiciens 88.
dist.
in orat. pro
Borm.

& aliarum scripturarum mentiuntur. *Testes* contra mentem veritatem celant: *Judices* contra mentem legum judicant: Imò quid ipsa *litigia* sæpè aliud, quàm mendacii, falsitatis, cupiditatis & avaritiæ vestigia, quibus inducti homines litigaturientes aut totum factum negant, aut mutant, aut alterant, & ita lites accumulunt. *Palaz. p. 3. del. gover. distato. c. 26.* Sic delinquentium mentiri proprium est, ut ait *Ordelaph. ad l. fin. n. 536. de R. V.* exemplum *Caivi* inducens. Sic nihil usitatius inter *militēs & mercatores*, quàm ut parvi lucelli gratià in unâ horâ aliquoties Deum abnegant, Diabolo se voveant, & quoties loquantur, toties mentiantur. Hinc *Chrysoft.* apud Gratianum: *Mercator sine mendacio, inquit, & perjurio esse non potest.* Et *Demosth.* *Ingens*, ait, esse *mimiculum*, si idem mercator industrius videatur, & probus. *Godel. lib. 3. de mag. & venef. c. 11. n. 50. Tholos. lib. 25. synt. c. 15. n. 8.* ubi mercatorum encomia refert. In militibus ferè proprium in quarto modo est, ut mentiantur, hoc est; daß sie groß sprechen/ und wenig erfahren; præsertim ii, qui in vaporariis delitescunt, *vibices generosi Martis*, ad prædam & malitiam, non justitiam & militiam lecti; qui cum deberent esse defensores oppressorum, miseris subditis lites atque malitias movent, & non de præda hostium, sed de lachrimis Provincialium suas divitias corradunt. *Cammer. cent. 1. bor. subcis. c. 5.* Quid de reliquis *mystis, sophistis, aulicis*, & mille aliis mendacibus dicam? cum *totus mundus fallat simulatione*, hoc est, mendaci affirmatione & dissimulatione, hoc est, mendaci negatione. *Casm. de mund. immund. cap. 34. p. 371. War. de Erenb. l. 2. de fæd. c. 1. n. 95.* Interim tamen *legum subtilitas mendacii convictum non sublevari*, sed potius detestatur ac punit. In tantum, ut semel mentientibus fides amplius non habeatur, etiamsi veritatem dixerint. *Hering. de fidi juß. c. 27. n. 213.* Quia mendacii calumnia vitam hominum lædit: & mendax in uno in omnibus præsumitur mendax, in præteritum atque futurum; idq; tanto facilius, quanto promptius quis consuevit promittere maria, & montes aureos. *Keller. de off. jurid. pol. l. 3. c. 20.* Itaque vir bonus præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat. *Gell. l. 2. c. 2.* Ratio prioris, quia mendacium in litibus gravi-

viori-

vioribus scelus est, secundum illud Plauti: *Mibi scelus quoque offe-*
detur, me petenti proloqui mendacium, in aliis vanitas, inconstan-
tia, stultitia. Tholos. l. 39. synt. c. 15. n. 1. Sic Ulysses quia mendax,
 scelerum inventor à Marone appellatur. *Ortel. ad d. l. fin. n. 547. de*
R. V. Et Persæ, crimen capitali animadversione dignum existi-
 mant *Mentiri.* Quo facit text. *in c. ne quis 22. q. 2.* ubi notatur,
 mendacium in hominibus perfectis esse mortale peccatum: præ-
 fertim mentiri in iudicio. *Morla, in emp. jur. p. 1. t. 2. q. 1. n. 3.*
 Atque hinc etiam mendacium dicitur esse peccatum contra natu-
 ram. *Thom. 2. 2. q. 110.* Et gravius fornicatione & perjurio. *secund.*
Felin. in c. cum dilect. de accus. Quia omne mendacium homines
 diuq; oderunt. *Plat. l. 2. de Rep.* Sic enim adversatur veritati men-
 dacium, ut bonitati malitia, & castitati luxuria; ut per illam
 Christo, per hoc diabolo similes reddamur, qui pater est menda-
 cii. *Ordel. ad l. fin. n. 350. de R. V.* Ergo improbi & scelerati ho-
 minis est mentiri, & uti verax homo ubique laudatur ita vitupe-
 peratur mendax. *Arist. 4. Eth. Ordel. d. l. n. 512.* ubi ait, menda-
 cium propriè hypocritarum esse, qui simulant dissimulant, & a-
 stutam gerunt sub pectore vulpem, *ut ait Sarruber. l. 7. de nug. cur.*
c. 21. In virum bonum enim non cadit *mentiri.* Et mendacium
 odit quivis prudens & sapiens, *teste Cleob.* Ut *Socrates* mori ma-
 luerit, quàm cum mendacio se excusare. *Cic. l. 1. de Orat.* Et *Papinianus*
 mortem obire, quàm parricidium defendere, & men-
 tiendo factum detestandum contra mentem tueri. Quod si & nos
 Christiani ejusmodi essemus *Socrates* & *Papiniani*, parum aut
 nihil mendacii superesset: Sed nunc non tantum in aulâ *Ale-*
xand. M. sed & alibi, magis *Thraasonem* fallacem, quàm *Crave-*
rum veracem amari videmus: cùm tamen ille ex veriore *Davidis*
regii Prophetæ iudicio mortis potius præmio dignus sit. Interim
 tamen immotum manet manebitque illud *German.* in verbo
 divino fundatum: *Wahrheit besteht / lügen vergeht.* *D. Cra-*
mer. ad c. 3. Reg. 1. v. 26. Parthen. litig. l. 1.
c. 10. n. 12. &c.

Luc. 11.
&
Job. 8.

Cic. 3. off.

2. Sam. 1.
v. 15. &
c. 4. v. 11.
Psal. 94.
v. 15.

De Singulis rebus per fideicommissum relictis:

MEMBRUM I.

Continens Textus Continuationem.

Particulare fideicommissum est, quo res singulæ per interpositam personam relinquuntur. *princ.* Tam propriæ quam alienæ, ut heredis, legatarii, fideicommissarii. §. 2. Modò non plus restituere rogentur, quàm ipsi ex testamento perceperint. §. 1. *hic.*

Axiomata & Digressiones.

I. Cognitis universalibus ad particularia descendendum. *arg. pr. & Arist. l. 2. Eth c. 7.*

II. Nemo plus onerandus, quàm honoratur. *arg. §. 1. vers. hoc solum.* Cùm itaque, præsertim hoc tempore, Magistratus & Professorum officium magis onus quam honos, *secund. Boër. dec. 222. n. 2.* Meritò eorum auctoritas à Superiori debite defendenda. *Piccart. obs. dec. II. c. 7.* Imò deputatos non honorantes esse puniendos uti sacrilegos. *l. 1. C. de dom. pot. lib. 12. Cautav. rit. §. mag Curie. n. 12.* ubi istis pœnam irrogandam censet, qui deputatis reverentiam in salutando non exhibent; multò magis ig. qui ignominiosis verbis ipsos afficiunt. Nec solum, *inquit l. 3. de LL. Cicero,* ut obtemperent & obediant Magistratibus, sed ut eos etiam colant, diligantque, præscribimus. *Laurent. tr. de jud. susp. cap. 1. n. 4. Parthen. litig. l. 2. c. 10. n. 35.* Dann da viel Gelehrter Leute seyn / vnd in ehren gehalten werden / da stehet das Land im Flor. *D. Cramer. ad l. 3. Reg. c. 4. v. 31.*

III. Quod differtur non aufertur. *arg. §. 2.* Quod verum est, nisi sint tales actus, qui habent certum & limitatum tempus: Et ubi posset alicui imputari mora aut culpa. *Schneidwin. hic.*

IV. Superflua neque profunt, neque nocent. *arg. §. ult.*

TIT. XXV.
DE CODICILLIS.
MEMBRUM I.

Continens textus Continuationem.

Minus plena testamenti dispositio sunt Codicilli. Est autem Codicillus declaratio supremæ voluntatis defuncti, quinque testibus præsentibus, sine ulla solennitate facta. Et agitur 1. de causa efficiente §. 1. 2. De forma §. 1. 2. & 3. 3. De materia & fine §. 2.

MEMBRUM II.

Continens Questiones.

I. An persona, quæ statuto quodam testari prohibetur, Codicillos nihilominus facere queat? *Aff. cum Bocer. cl. 3. d. 6. tb. 6. Harpr. p. 1200. n. 39. Contra Vasq. & Reusn.*

II. In Codicillis an semper relinquatur universitas? *Neg. cum Riemer. dec. 7. q. 10.*

III. Num in Codicillis fœminæ possint esse testes? *Aff. cum Först. d. 14. tb. 19. Frantz. Ex. 7. q. 10. Arum. d. 7. tb. 14. Berens d. 7. tb. 4 q. 3. Hænon. d. 11. tb. 22. Contra Old. Tiraqu. & Dec. in l. 2. de R. 7. n. 26.*

ANTINOM. Nondum clausa Jani porta! Nec adhuc adhuc dum caduceator missus, qui olivam ferat aut pacis leges poscat. Fœciales novi ad muros §. 1. b. tit. esse videntur, qui bellum *cum l. 5. ff. de jure Codic.* indicunt, & ferratam ad fines *Papiniani* hastam ponunt! Sed vana & sine metu clarigatio! Utinam illorum hominum sensus tam pacatè congruerent, quàm verba *Papiniani* cum rescripto *Severi & Antonini*. Interim tutos nos sistunt, & tragulas ac scibones avertent à nostris lacertis, *Juris Archistrategi Hottom. Matth. & Cujac. hic. Ant. Fab. l. 5. conj. c. 12. Duar. 2. disp. c. ult. Martin. contrar. disp. 2. tb. 47.*

MEM-

I. Principis exemplum libentissimè subditi imitari solent. *arg. princ.* Nam, *vita Principis censura est, eaq; perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo.* Ut Solis defectio magnorum motuum plerunque argumentum trahit: ita Principum errores etiam mediocres magnam rebus humanis perturbationem afferre solent, dicere solitus *Carolus V.* referente *Chock pol. l. c. 9.* Itaque vel exempli contemplatione valde expedit, ut *virtutes Principis nullo unquam vitiorum consinio ledantur. Vita namq; splendor, ac claritas, plerosq; eorum, qui proni ac lubrici sunt ad peccandum, ad consimilem emulationem invitat.* Verum: *Als dann stehet es wohl im Lande/ wenn trewe Unterthanen ein Auge haben auff ihre Gottselige Obrigkeit / vnd derselben in allen billichen dingen folgen.* *D. Cramer. ad c. 1. Reg. 3. v. 20.*

Plin. paneg.

Plin. ibid.

D. Basil. in Psalm. 1.

L. 2. ff. de const. princ.

Vell. l. 2.

Auth habita. C. ne fil. pro patre. Lac. l. 7. c. 5.

II. Boni Principes omnia ex consilio sapientum solent administrare. *ibid.* Cùm *in rebus novis constituendis evidens utilitas esse debeat: Ideo à Principe absq; Prudentium Consiliariorum consilio in ejusmodi novæ legis latione, nihil temere tentandum aut statuendum. l. 8. C. de ll.* Itaq; *Serenis. Noster Elector novum suum Processum nō ex suo ingenio & placito tantum valere, sed exemplo magnorum Principum ductus, eum à præclaris usu & experientia edoctis efformari & probari voluit. In præfat. §. Wann wir dann solche Arbeit vnsern geheimbden/ Hoff vnd Appellation Råhten &c. vntergeben/ ihr bedencfen/ vnd was zuerinnern vnd verbessern sein möchte etugeholet &c.* Certus *magna negotia, magnis adiutoribus egere.*

III. Absonans à juris ratione non recipiendum. *ibid.*

IV. Quod civibus utilissimum & necessarium illud statuendum. *ibid.* Quia Regentium potestas magis in utilitatem subditorum, quàm ipsorum inventa est; dem gemeinen wesen zum besten. *Elect Sax. præfat. ad Process. §. Wenn.* Ergo non ut unus splendidè saginetur, & unitas miserè pereat.

V. Peregrinantes sublevandi. *ibid.* Quales quoq; sunt, qui amore scientia exules facti, vitam suam multis periculis exponunt, & præde & ludibrio sunt sceleratis calonibus militaribus, quorum tamen scientia totus illuminatur mundus &c. Sed, *Peritura*

Troja perdidit primum DEOS.

EXPLICIT LIB. II.